



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De actione creatiua corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

existentiam productam coexisturam instanti B. pro illo priori, atque adeo duraturam prius natura, quam intelligeretur eius duratio, admodum non urget: ut enim superius secundo loco notatum est, recte possunt duo intelligi pro eodem signo naturae, quin propterea tempore, seu duratione reali coexistant: unde tamen pro illo priori intelligatur res secundum se, nec non instans B. duratione reali sibi coexistant, siue, quod perinde est, ut res in instanti B. realiter duret, atque existat.

30. Ad secundum argumentum; largior gratis decretum existentiae, & productionis non praescindere à duratione, sed in eam in diuidentem ferri: verum ob id duratio ab actione indistincta non erit, haud aliter ac decretum Dei de productione non praescindit ab existentia per eam producta; sed ambas per modum vnius decernit; & tamen actio, & existentia distinguuntur realiter. Rursus amor essentialis, & comprehensius Dei non praescindit vnam subsistentiam diuinam ab alia, sed simul, & collectiue in totas tres fertur, & tamen realiter distinguuntur: pari ratione diuinus amor dirigi nequit in obiectum aliquod creatum, quin supra se reflectat, ut supra obiectum partiale; nefas tamen esset inde colligere indistinctionem obiecti creati à diuino actu, cui obicitur: igitur quamuis decretum Dei mirime praescindat productionem rei ab eius duratione, id argumento esse non poterit ad vtramque identificandam. Secundo respondeo, negato antecedenti: ad cuius probationem aio, rem existere primo, aut semper, esse differentias accidentarias existentiae secundum se, & hanc indifferentem esse, ut vel primo, vel semper, aut etiam primo in hoc instanti, aut primo in alio existat, aut producat: unde decretum Dei terminari potest ad existentiam sumptam secundum se, & nudè ab illis differentiis accidentibus non minus, quam à differentiis vbi-cationis subsistentiae & similibus.

31. Ad confirmationem respondeo: sicut res creata est indifferens pro priori aliquo signo naturae ad hanc, aut illam vbi-cationem; ita similiter ad hanc vel illam durationem, ad quarum alterutram determinatur per decretum Dei subsequens rem existentem secundum se, & eius praui-sionem. Caterum aliter, & aliter res est indifferens ad diuersas durationes, & ad diuersas vbi-cationes: indifferentia enim rei ad hanc, aut illam vbi-cationem sapè non est indifferentia actiua, cuius determinatio oriri potest à re existente secundum se, qua versus hanc, aut versus illam partem pro libito se se mouere potest: at indifferentia rei ad oppositas durationes est indifferentia quasi passiu-a, cuius determinatio non est à re durante, sed seorsim à libertate illius à solo Deo pro suo libito decernente, ut res duret, aut non duret pro hac, aut illa differentia temporis. Deinde etiam si pro primo signo suae existentiae res haberet necessitatem ad hanc durationem, atque adeo decretum productionis esset decretum durationis, non propterea duratio cum productione confundi deberet, ut numero penè superiori explicuimus.

Ad tertium argumentum respondeo, durationem quantumlibet distinctam ab actione, nouae tamen libertatis exercitium, & noui meriti materiam toties esse posse, quoties à voluntate actus

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

liber libere conseruatur: tum, quia duratio quamuis distincta ab actione eam concomitari potest, quin antecessio actionis eius libertati, aut meriti quidquam derogare possit. Deinde duratio actus liberi, eiusque conseruatio, quamuis sit necessaria respectu existentiae actus liberi, ab eaque velut à causa naturali proficiscatur, respectu tamen voluntatis nostrae libera esse potest, haud aliter ac ipse actus habitui necessarius, voluntati tamen liber, & spontaneus est: quid? quod aliquis contendere posset ratione nouae durationis nihil nouae libertatis actui accrescere, aliquid tamen noui meriti ei accedere; quemadmodum in sententia Scoti, actus exterior actui interiori nil libertatis, aliquid tamen meriti superaddit.



TRACTATUS II.

De Actione creatiua corporis naturalis.

CAPVT I.

Creatio corporis naturalis, & cuiusvis alterius rei in quo sita sit?

CREATIO trifariam accipi solet: primo, latissime pro quauis productione, siue eius terminus sit ens necessarium, & infinitum; siue ens contingens, & necessarium: qua ratione Sapientia Dei, siue Verbum diuinum creati dicitur. Eccles. 24. ibi: *ab initio, & ante secula creata sum*: Secundò pressius, pro sola ea productione, cuius terminus sit aliquod ens finitum, & contingens; & hac ratione personam aliquam diuinam creaturam esse, siue creati à Catholicis contra Arrium denegatur, omne verò ens praeter Deum creati, siue creatura esse dicitur: tertio, & propriissime pro ea sola productione, quae rem independentem ab omni subiecto producit, qualis est ea, qua Angelus, aut animus rationalis, aut accidentia Eucharistica producuntur. Creatio in primo sensu magna ex parte Theologici instituta est; Philosophici verò in secundo, & tertio sensu. Quod ergo ad quaestionem capitis titulo praefixam attinet:

Prima sententia est, actionem creatiuam sitam esse in sola voluntate Dei efficaci, qua existentiam Angeli, aut animi verbi gratia efficaciter decernit, eamque in nullo alio consistere posse, ita Caietan. 1. p. q. 45. art. 3. Capreolus in 2. dist. 1. quaest. 2. Richardus ibidem. art. 1. q. 2. & 3. Valentia 1. p. disp. 3. q. 2. & alij complures. Secunda sententia est, creationem, siue productionem rei ex nullo praesupposito subiecto solum consistere in ipso termino creato, Angelo verbi gratia aut animo, ita Scotus & assecla in 2. dist. 1. quaest. 5. Pater Vasquez 1. p. disp. 173. cap. 3. & alij non pauci. Tertia sententia est, creationem solum consistere in modo reali medio inter agens & terminum, & qui agente posterior, termino verò prior sit, haud aliter ac actio generatiua in entitate modali sita est: ita Pater Molina 1. p. quaest. 45. art. 3. Suarez disput. 20. Metaphys. sect. 5. numero 12. Hurtado disput. 12. Physicor. à §. 21. Arriaga

T 3

disput. 9.

disputatione 9. Physicor. Compton. disput. 41. Phys. sect. 3; & cum iis communiter nostri recentiores.

3. Ipse has omnes sententias quoad id, quod affirmant, veras esse, & quoad id, quod negant, falsas esse arbitror; quamobrem dicendum est, creationem aliquam in sola voluntate efficaci Dei consistere, aliam verò in solo termino creato, & nonnullam in modo reali, qui à voluntate Dei, & termino creato modaliter, siue ex natura rei distinctus sit; & vtrumque interiaceat. Ab hoc philosophandi modo non paucos eorum, qui pro oppositis sententiis nuper commemorati sunt, aliosque qui commemorari possent, stetit: se censuerim: celebris enim inter antiquos est duplex acceptio creationis, quarum alia in sola voluntate Dei consistit, & creatio actiua nuncupatur; alia verò in termino creato consistit, & creatio passiua appellatur.

4. Prima ergo nostræ sententiæ pars, nempe voluntatem Dei efficacem secundum se, & seorsim à quouis alio sumptam creationem esse hoc pacto probatur: Munus, & officium actionis est determinare, vt hic effectus ab hac causa existat: at voluntas efficax Dei se sola, & circumscripto quouis alio determinat, vt Gabriel verbi gratia à Deo existat: igitur munus, & officium actionis, ac proinde eius rationem sibi vendicat: alterius autem actionis, quam creatiue rationem sortiri nequit, eo quod Gabriel Angelus generari, aliave actione, quam creatiua produci nequeat; ac per consequens rationem actionis creatiue sortitur. Maior perspicua est: quia siue de actioneeductiua, siue de creatione modalis, & ab agente & termino distincta, siue de creatione à termino indistincta sermo sit; quæcumque harum ab aduersariis actio admittatur, idè sanè actio censenda est, quia determinat, vt hic effectus ab hac causa existat: igitur eiusmodi determinatio munus & officium actionis est: Minor etiam minus perspicua non est; quia eiusmodi volitio Dei efficax ad Gabrielem terminata est essentialiter connexa cum hoc, quod est, Gabrielem existere à Deo, idque independentem à subiecto; hac enim ratione & non alia Gabriel existere potest, igitur talis volitio determinat, vt Gabriel à Deo existat; quemadmodum ratione similis connexionis quæcumque alia actio indubitanter talis determinat, vt hic effectus ab hac causa existat.

5. Dices, primo, non qualemque determinationem causæ ad effectum, & effectus ad causam, esse actionem, sed determinationem modalem, & distinctam à causa, & effectum; & inter ytrumque mediam; cuiusmodi sanè non est volitio Dei. Contra tamen, quia determinatio illa modalis à causa, & effectum distincta, & vtrumque intermedia, si quando admittitur, ideo est, quia causa, & effectus siue simul, siue seorsim sumantur, indifferentes sunt, vt effectus à causa effluat, & causa in effectum influat; qua ratione vno etiam modalis ab extremis distincta ideo admitti solet, quia extrema indifferentia sunt, vt se intrinsecè afficiant: at supposita volitione Dei efficaci ad Gabrielem terminata nulla est indifferentia, vt Gabriel à Deo existat, Deusve in Gabrielem influat: igitur determinatio illa modalis à Deo, & Angelo realiter distincta

admitti nequit: nec de ratione creationis esse potest, vt in eiusmodi determinatione consistat: vnde quamuis volitio Dei efficax eiusmodi determinatio non sit, actio tamen creatiua esse poterit.

Dices secundo, determinationem, vt effectus existat à causa, duplicem esse: aliam proximam, & formalem; aliam verò remotam, & radicalem; solamque priorem, non verò posteriorem determinationem, sortiri rationem actionis: cum ergo volitio Dei efficax non sit determinatio proxima, & formalis; propior enim determinatio ad existentiam Angeli est Angelus ipse se ipso determinatus, vt à Deo existat, vel modus aliquis Angelo intrinsecè adharens: quævis, inquam, harum determinationum propior est Angelo, quam volitio Dei; sanè hæc rationem actionis creatiue sortiri non poterit. Verum cum actio creatiua more reliquarum actionum sit via agentis ad terminum, & ab agente quodammodo incipiat, & in termino desinat, non est, cur propior sit termino, quam agenti, aut cur proxima sit respectu termini potius, quam respectu agentis: igitur quamuis volitio Dei propior sit agenti, quam termino; & respectu termini determinatio proxima non sit, tamen rationem actionis creatiue sortiri poterit. Equidem sicut existentia Angeli, iuxta aduersarios, est eius creatio, esto respectu Dei determinatio remota, & radicalis sit, vtpote quæ eius volitionem efficacem supponit, ita è conuerso volitio Dei poterit esse creatio Angeli, tamen si respectu illius determinatio remota, & radicalis sit.

Primum argumentum pro sententia contraria in hunc modum confici solet: si creatio Angeli esset volitio Dei efficax, sicut volitio Dei est ab æterno, ita creatio Angeli esset ab æterno: at creatio Angeli ab æterno esse nequit: ergo: maior proculdubio est vera: minor probatur; quia si creatio Angeli esset ab æterno, Deus ab æterno Angelum crearet; quemadmodum Angelum ab æterno vult, quia eius volitio ab æterno est: at Deus ab æterno Angelum non creauit, ergo: maior perspicua videtur: minor suadet: tum, quia si Deus ab æterno Angelum creasset, Angelus ab æterno esset creatus; Deum enim creare Angelum, & hunc esse à Deo creatum relatiua, & reciproca sunt, quæ autem eiusmodi sunt, teste Aristotele, sunt simul natura, tempore, & cognitione; nec vnum in aliquo nunc temporis, aut æternitatis sine alio esse potest: at Angelus ab æterno creatus non est, aliàs ab æterno extitisset, quod hæreticum est. Tum etiam ex Prouerb. 8. capite. ibi: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, à principio*: quibus verbis manifestè asseritur, diuinam sapientiam à principio, siue ab æterno extitisse, antequam Deus quidquam faceret, ac proinde antequam Angelos faceret: eos ergo ab æterno non fecit, nec creauit.

Secunda ratio aduersariorum, & priorem coadiuuans ita se habet: Volitio efficax Dei est ab æterno ante existentiam Angeli: at actio creatiua Angeli esse non potest ante existentiam Angeli

Angeli in aliquo instanti aternitatis, aut temporis: cum enim omnis actio sit essentialiter, atque adeo summè connexa cum suo termino, in nullo instanti sine eo esse potest.

9. Tertia aduersariorum ratio huiusmodi est: actioeductiua, qua Deus formam ignis v. g. ab eius materia educit, in voluntate Dei efficaci sita non est: ergo nec actio creatiua: antecedens perspicuum videtur: consequentia suadet: quia sicut voluntas efficax existentiae Angeli de se essentialiter connexa est cum hoc, quod est Angelum à Deo independentem ab omni subiecto existeret; ita etiam voluntas efficax existentiae connaturalis formae ignis essentialiter connexa est cum hoc, quod est, formam ignis à Deo connaturaliter, ac dependentem à subiecto existeret: cur igitur vna voluntas sit actio creatiua Angeli potius quam alia actio generatiua formae ignis?

10. Quarta, & postrema aduersariorum ratio est: Angelum esse creatum, est denominatio intrinseca Angelo: at si creatio in voluntate Dei sita esset, ea denominatio non intrinseca, sed extrinseca Angelo esset: Maior probatur, quia esse creatum est modus quidam essendi, siue existendi, nimirum à causis: ergo est denominatio intrinseca rei creatae; cur enim modus existendi in alio, qualis est passio, aut existendi cum alio qualis est vnio, aut existendi in loco, qualis est vbicatio, aut existendi in tempore, qualis est duratio: cur, inquam, hi modi existendi intrinseci sint, & modus existendi à causa creante intrinsecus non sit?

11. Ad primum, & secundum argumentum sunt, qui respondeant, creationem Angeli præter voluntatem Dei efficacem intrinsece includere instans illud caducum & successuum, pro quo Deus vult, Angelum existeret; quo principio inconuenientia obiecta declinasse sibi videntur. Falluntur tamen: quia pro priori signo naturae, pro quo Angelus existit ante durationem instantis illius A; v. g. aut quidquid sit de hac prioritatem, quam non nemo inficias eat, certè Angelus secundum se, & præcisè ratione nostra, eo instanti A per aliquam actionem producit: non per aliam, quam per creatiuam: ergo per creationem producit; atque adeo creatio per instans A intrinsece non constituitur.

12. Quocirca alij malunt, creationem Angeli præter voluntatem Dei includere intrinsece existentiam Angeli; quo etiam principio statuto inconuenientia in primo, & secundo argumento tacta euanesce videntur. Contra tamen, quia si creatio, aut, quod perinde est, relatio creantis in eo complexo consisteret, in eodem etiam relatio creati sita esset: vnde creatio Angeli se ipsam crearet, & Angelus à se ipso creatus esset, sicut in simili sæpè argumentabar. Vnde demum connotatores hic ad solita inuolucra, & latibula confugiunt, & respondent: tamen sola voluntas Dei reipsa sit creatio, & Deum creantem denominet, hanc tamen denominationem Deo identificatam, ei ab aeterno non conuenire, sed in tempore, eique etiam in tempore absque vilius entitatis intrinseco periculo deperire posse: Angelo nimirum, quem ea denominatio connotat tempore existente, aut perente. Verum quam commentitia sint hæc connotata in Metaphys. vbertim declarabimus, &

in Deo neutiquam admittenda esse speciatim ostendi potest, nisi id nostri instituti ratio vetaret.

Quapropter ad primum argumentum respondeo, creationem Angeli esse ab aeterno, Deumque dici posse ab aeterno creantem Angeli, & Angelum ab aeterno creatum à Deo: si ly *ab aeterno* appelletur supra *creantem* & *creatum*: secus vero si appelletur supra *Angelum*: haud secus ac Deus ab aeterno dicitur, odisse peccatorem, & hic ab aeterno Deo exosus: si ly *ab aeterno* supra *odisse* & *exosus* appelletur: secus vero si supra *peccatorem* appelletur: nec magis ex priori loquutione, quam ex posteriori deduci potest, creaturam aliquam ab aeterno extitisse. Eadem ratione, cum sacra pagina passim asseritur, Deum nil fecisse, aut creatum ab aeterno, ly *ab aeterno* non supra *creasse*, aut *fecisse*, sed supra creationis, aut effectiois terminum appellare, ad eumque referri debet: & in eo sensu id verissimum est, & nostræ sententiæ neutiquam refragatur.

Ad secundum argumentum respondeo, in primis per instantiam: non magis connectitur actio cum existentia termini, quam volitio Dei efficax cum actione creatiua, ad quam iuxta aduersarios terminatur: siquidem utrobique connectio essentialis est; at volitio Dei efficax quantumvis connexa cum actione creatiua est ab aeterno, quin actio creatiua ab aeterno sit, vt aduersarij contendunt: ergo similiter, &c. Deinde absolute respondeo: actio creatiua Angeli in voluntate Dei sita, non est actio merè physica, sed intentionalis: quare sicut cognitio, & volitio alicuius obiecti, quia in illud intentionaliter tendunt, quantumcunque cum eo absolute connexæ sint, cum eo tamen connexæ non sunt, nisi pro ea temporis differentia, pro qua à Deo cognoscitur, & efficaciter amatur; ita similiter actio creatiua, quia tendentia intentionalis, tamen quæ actio est, cum existentia termini absolute connectatur; tamen qua intentionalis, cum ea solum connexa est pro ea temporis differentia, pro qua à Deo eiusmodi existentia efficaciter decernitur: vnde ab aeterno sine existentia termini esse poterit, esto sine ea esse nequeat, adueniente tempore, pro quo efficax est.

Ad tertium respondeo: cum Deus se solo, & sine consortio causæ secundæ aliquid generat, actio Dei generatiua in eius voluntate efficaci terminata, tam ad eius existentiam rei, quam ad eius, à subiecto dependentiam formalissimè consistit, cum tamen, si creatiua esset in voluntate terminata ad existentiam rei, & carentiam dependentiæ collocanda esset. Cæterum, cum Deus simul cum causâ secundâ aliquid generat, per duplicem actionem generatiuam, inadaquatam tamen concurrat; quarum alia solius Dei propria est, & in eius voluntate consistit, vt iam iam exposuimus; alia vero Deo cum creatura communis est, & in modo physico consistit, videlicet quia actio creaturæ actio Dei non esse potest, vt constat ex libro præterito, cum de causâ primâ ageremus.

Ad quartum respondeo; modos existendi in duplici differentia esse: aliosque intrinsecos esse, quales sunt existeret in loco, quod fit per vbicationem; existeret in tempore, quod fit per durationem; existeret in toto, quod fit per vnionem; existeret

existere in alio, quod fit per passionem: alios vero esse extrinsecos, quales sunt existere, siue esse in intellectu, quod fit per cognitionem; existere in voluntate, quod fit per amorem; existere prope aliud, aut procul ab alio, quod fit per relationem prædicamentalem distantiae, aut indistantiae. Quare perperam aduersarij modos omnes existendi à productione distinctos, intrinsecos esse arbitrantur, vt inde colligant, rem esse creatam, aut productam, denominationem intrinsecam esse; cum potius alij sine intrinseci, alij extrinseci: inter hos ergo, non inter illos rem esse creatam per decretum Dei connumerari potest, ac debet.

CAPVT II.

Secunda pars verioris sententiae suadetur.

17. **V**idelicet, terminum ipsum creatum, qualis est Angelus, exemp. g. rationem actionis creaturae fortiri. Munus actionis est, determinare, vt hic effectus ab hac causa dependeat, vt initio capituli antecedentis ostendimus: at huiusmodi determinatio existentiae Angelicae secundum se sumptae conuenit: ergo munus, ac proinde rationem actionis sibi vendicat: cum ergo actio generatiua esse nequeat, eo quod Angelo generari repugnet, proculdubio erit creatiua: minor perspicua est, quia connexio, & determinatio coincidunt; at existentia Angeli per seipsam essentialiter connexa est, cum hoc, quod est, Gabrielem, v.g. ab hoc agente Deo nimirum existere.

18. Dices, actionis munus esse, determinare, vt hic effectus ab hac causa, hac numero dependentia dependeat, siue existat: at existentia Angeli Gabrielis quamuis determinet, vt hic Angelus ab hoc agente, Deo nimirum essentialiter dependeat, non tamen per hanc numero differentiam, sed per hanc, vel per aliam. Verum, hæc solutio non satisfacit: quia, cum dicitur actionis munus esse, determinare, vt effectus à causa per hanc numero dependentiam dependeat, aut exclusiue id intelligitur, vt sensus sit, actionem, quæ talem determinare, vt per se ipsam, & per nullam aliam actionem, aut dependentiam effectus à causa dependeat; & in hoc sensu maior syllogismi omnino falsa est; cum de ratione vnius actionis non sit, aliam etiam adequatam excludere: aut non exclusiue, sed positiue maior ea propositio intelligitur, vt sensus sit, modum inter Deum, & Angelum ideo actionem esse, quia determinat, vt Angelus à Deo per hanc numero dependentiam, nimirum per se ipsum, quatenus hic numero modus est, dependeat, & oriatur; & in hoc sensu maior vera est. Ceterum non video, cur existentia Angeli hac ratione non determinet, vt Angelus à Deo per hanc numero actionem, & dependentiam dependeat, siquidem determinat, Angelus per se ipsum, quatenus hic numero est, à Deo existat, ac dependeat. Nec video quoad hoc, quæ inter existentiam Angelicam, & entitatem illam modalem, quam aduersarij commiscuentur, discriminis ratio esse possit; aut cur potius vna, quàm alia, hæc numero dependentia Angeli à Deo sit, cum vtraque ex æquo cum Deo, & Angelo essentialiter connexa sit.

Argumentor secundò: si aliquis effectus numerice sumptus hanc etiam numero causam essentialiter postularet ita, vt ab illa non produci ne diuinitus posset, sanè is effectus ab ea causa per se ipsum essentialiter produceretur, munusque actionis sibi vendicaret: at Angelus, quatenus hic numero est, primam causam essentialiter postulat, & ab ea non produci ne diuinitus potest: igitur Angelus &c. Minor in propatulo est: Maior probatur tripliciter, primò quia ideo modus actionis ab effectu distinctus à Philosophis adinuentus est, quia effectus hanc numero causam non postulat, sed vt ab hac, aut illa oriatur, de se indifferens est: igitur si aliquis effectus hanc indifferentiam cum essentiali determinatione commutaret, non per modum distinctum, sed per se ipsum præcisè à causa dependeret. Secundo, quia si aliqua substantia esset essentialiter alligata ad hunc numero locum, ita, vt ab illo nulla vi diuelli posset, certè eiusmodi substantia per se ipsam, & non per vbitatem distinctam eo loci esset, haud secus ac Deus per immensitatem à se realiter indistinctam vbique locorum est, videlicet quia vbique locorum esse essentialiter postulat: ergo similiter, &c. Tertiò, quia in diuinis relatio filiationis est actio, siue productio, quæ filius à patre procedit, & originem trahit, non alia ratione, nisi quia filiatio diuina, quamuis sit terminus productus, tamen essentialiter postulat à Patre, & non alio in eadem substantia produci: ergo similiter effectus creatus eadem determinatione præditus, actio censeretur posset.

Oppones tamen, primò: quantitas Eucharistica à Deo creatur: at non per se ipsam essentialiter: igitur creatio à termino distinguitur: maior de fide est: minor suadetur, quia quantitas Eucharistica indifferens est, vt creetur, vel generetur, & vt dependenter, vel independenter à subiecto producat: ergo creatio, vel independentia à subiecto ei essentialis non est, neque in ea consistit. Oppones secundò: actio generatiua à termino genito realiter distincta est, vt sup. tr. r. cap. i. ostensum est: ergo de actione creatiua, pari ratione, philosophandum est.

Verum ad primum respondeo: quemadmodum terminus actionis generatiue non est sola quantitas v.g. sed quantitas, & eius etiam dependentia à subiecto, aut vnio cum subiecto; ita similiter terminus actionis creatiue non est sola quantitas simul cum eius independentia à subiecto: at quantitas simul cum ea independentia non est indifferens, vt creetur, aut generetur, vtve à subiecto dependenter producat: vnde terminus creatus in transsubstantiatione Eucharistica eiusmodi indifferentiam non sortitur; ac proinde actio creatiua esse potest.

Ad secundum respondeo: actio generatiua, quæ effectus à causa secunda procedit, ab effectu omnino distinguitur, tanquam modus causam, & effectum interiacens, nimirum ob indifferentiam, quæ causa secunda hunc, aut illum effectum; & effectus hanc, & illam causam secundam respicit: quæ ratio in actione creatiua neutiquam militat. Ceterum actio generatiua, quæ effectus à causa prima dependet, in ipso effectu consistere poterit, cum effectus quiuis creatus causam primam essentialiter respiciat, & ab illa, vel non ab illa, sed ab alia oriari neutiquam indifferens sit.

CAPVT III.

Tertia pars-verioris sententia suadetur.

23. **S**cilicet, actionem creatiuam nonnunquam in modo quodam reali inter causam, & effectum medio consistere. Quia eadem numero actio est de se indifferens, vt creatiua, vel generatiua sit: quare si, quod probabilius est, accidentia Eucharistica in quantitate non fuscipiantur de facto, eadem numero productio caloris ante consecrationem hostiæ generatio est, & post eius consecrationem actio creatiua: nimirum, prout producta dependentiæ à subiecto ei actioni abest, aut adest: at actio generatiua, qua ignis verbi gratia calorem producit, in modo reali consistit: igitur etiam actio creatiua caloris ab eius generatione non omnino distincta in modo quodam reali consistit.

24. Pro maioris propositionis luce, & intelligentia præmitto primò; actionem productiuam caloris ad solam caloris entitatem terminari, & hanc solam vi illius extrahi à statu possibilitatis ad statum existentie; vnionem vero caloris, eiusque à subiecto dependentiam alia actione realiter distincta ad statum actualis existentie produci: actio namque nihil aliud est, quam determinatio, vt res existat à suis causis: igitur pro diuersitate existentie, rei que existentis diuersa determinatio, & actio assignatu opus est: at calor existens, eiusque vnio realiter distinguuntur: ergo diuersæ actiones eis respondent: hac ratione, quia calor, & eius vnio realiter differunt, diuersas realiter vbiaciones, & durationes sortiuntur.

25. Præmitto secundò; productionem caloris non habere ex se, quod generatiua, aut creatiua sit, sed potius ab his duabus differentiis præscindere: operosum non est hoc secundum exiis, quæ primò præmissa sunt deducere: nam ea productio solam formam caloris producit: at forma caloris secundum se nec pendet actu, nec independet à subiecto: igitur eius solius productio nec facit eam pendere, nec independere à subiecto; ac proinde nec generatiua, nec creatiua est, nisi aliud ei superueniat.

26. Præmitto tertio; productionem caloris esse generatiuam illius prout coniunctam cum productione vnionis, seu dependentiæ caloris à subiecto; esse verò creatiuam prout coniunctam cum carentia illius dependentiæ: eatenus enim productio caloris est eius generatiua, vel creatiua, quatenus eum dependenter, vel independenter à subiecto producit: at vtrius modo eum producit, prout cum actione productiua vnionis, seu dependentiæ coniungitur, ab eave superatur. Hæc, quæ præmissimus, & supposuimus ad probationem maioris, hac ratione accommodari possunt: nam productio caloris quod generatiua sit, habet ex consortio actionis, qua eius vnio, seu passio producit: quod verò creatiua sit, ex carentia eius actionis, & vnionis: at productio caloris indifferens est ad huiusmodi consortium, aut carentiam, saltem diuinitus, ac supernaturaliter: igitur vt creatiua, vel generatiua sit, eo ipso indifferens est.

27. Secundo suaderetur idem intentum: quia creatura ad creandum saltem supernaturaliter euehi

potest: at eiusmodi creatio in modo quodam reali formaliter consistit: ergo: maior infra suadebitur: minor probatur, quia talis actio creatiua in effectu creato Angelo verbi gratia non consistit, cum Angelus existere possit absque eo, quod ab aliqua creatura creetur, nec etiam consistit in voluntate Dei, qua videlicet actionem causæ creatæ ne ex parte quidem compleri posse superius tract. 1. c. 1. ostensum manet: reliquum igitur est, vt ea actio creatiua in modo consistat.

Verum contra hanc nostre sententiæ partem obici solet: si actio creatiua consisteret in modo, alicui subiecto inherere, & ab eo in genere causæ materialis dependere deberet: siquidem eiusmodi modus esset in prædicamento accidentis: ergo esset accidentis: cum ergo accidentis esse sit inesse, siue inherere, sanè alicui subiecto necessario inesset, atque inhereret: at nulli subiecto inherere, ab eovè in genere causæ materialis dependere potest: quod enim eius subiectum assignari potest? non enim agens videlicet Deus, cui nihil inherere salua eius immutabilitate potest, vt compertum est: non subiectum inhesionis termini creati, cum eiusmodi subiectum nullum sit: nec tandem ipse terminus creatus, aliàs modus crationis termino suo natura prior, ac posterior esset: prior quidem, eo quod omnis actio terminum suum natura anteuertat; posterior verò, quia ab eo in genere causæ materialis dependet.

Hæc obiectio in nostris principiis facilis solutio est: in primis namque maior argumenti falsa est, vt in Metaphysica ostendam, vbi paramiam illam, *accidentis esse est inesse*, à nonnullis Thomistis nullo iure in scholas inuectam esse nullo iure constabit: minor etiam argumenti facile negari potest: subiectum enim cui modus actionis creatiue inherere possit, nec est subiectum inhesionis termini creati, nec ipse terminus creatus, sed agens, quod per eam creat: cum enim actio creatiua non à solo Deo, sed interdum etiam ab agente creato dependeat, idque non solum de possibili, vt aiunt, verum etiam quodammodo de facto, vt cum ignis verbi gratia species Eucharisticas calefacit; sanè actio creatiua agens ali-quod, in quo suscipi, & cui inherere possit, nimirum creaturam suapte natura respicit. Quid autem alij in suis principiis respondere possint, ipsi viderint.

CAPVT IV.

Quæ agentia creare possint?

30. **A**spero primò: Deus optimus Maximus creare potest, & actu plura creauit, & ex nihilo produxit. Hæc assertio contra antiquos Philosophos iam fide sancta est: Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*: Pauli ad Hebræos 3. *qui omnia creauit, Deus est*, & in Conc. Lateranensi 2. cap. ibi: *Deus dicitur vnium vniversorum principium, creator omnium inuisibilium, & visibilium, & spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis vtrâque de nihilo condidit creaturam spiritua-lem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.*

Deinde ratione demonstrari eadem assertio potest;

test: quia creatio nullam implicationem inuoluit: ergo possibilis est, si cui autem agenti possibilis est, maxime primo agenti, cuius incircumscrip- ta perfectio perfectum illum agendi modum suo si- bi iure vindicare videtur: antecedens probatur, quia creatio, siue productio rei ex nihilo ita intel- ligenda non est, ut res ex nihilo, velut ex prae- supposita materia educatur; id enim impossibile est (quo enim pacto id, quod nihil est, eius quod ali- quid est fulcrum, & receptaculum esse potest?) sed ita ut nihil terminus a quo rei sit: in quo cer- tē nulla terminorum repugnantia est; cum aliud non sit, quam quod antea omnino nihil erat, & nec in se, nec in subiecto quasi semine vllum esse habebat, modò aliquid in rerum natura esse.

§2. Rursus; nobilior est influxus causae efficientis, quam causae materialis: at Deus independentē ab omni causa efficiēti creatā potest rem produ- cere: ergo a fortiori independentē ab omni cau- sa materiali rem producere, atque adeo creare po- terit. Præterea: causa finalis iuxta Aristotelem, causa causarum, & reliquis anterior est; & tamen independentē ab omni fine creato Deus operari potest. Quid ni ergo, & independentē ab omni subiecto creato, prout ad creationem oportet? Demum, in subiectis non est procedere in infi- nitum de facto: ergo primum aliquod subiectum existit in rebus: hoc autem a Deo produci debet, & non nisi independentē a subiecto, ab eo pro- duci potest: ergo ita producitur, atque adeo creatur.

§3. Pater Suarez disput. 20. Metaphysicæ sect. 1. numero 14. hoc idem probat, primò: quia mo- dus operandi est proportionatus modo essendi: cum ergo Deus independentē a subiecto existat, independentē ab eo operari poterit. Secundò, quia virtus operativa definita ad agendum in subiecto, & a subiecto, valde contracta, & limita- ta est: ergo Deo attribuenda non est. Tertiò, quia Deo attribuendus est modus operandi altio- ris rationis, quam is, qui causis secundis consen- taneus est: at talis operandi modus alius, quam creatio esse nequit.

§4. Hac acutè, & grauiter excogitata sunt: cate- rum omnino non conuincunt. Ad primum enim responderi potest, modum operandi non sequi modum essendi quoad independentiam a subie- cto; quia ratione Angelus naturaliter existit inde- pendentē a subiecto, naturaliter tamen operari nequit independentē a subiecto: in eo ergo mo- dus operandi modum essendi sequitur, quòd quo perfectius est esse rei, eo perfectius operatur, siue perfectior illa operatio a subiecto dependens, siue independentē sit. Ad secundum etiam dici po- test: si virtus actiua Dei finita esset ad aliquod determinatum subiectum, hoc est, ad subiectum his peculiaribus accidentibus, & non aliis dispo- situm, & in tali distantia, & non maiori colloca- tum, haud secus, ac ignis verbi gratia ad subie- ctum determinatum definitus suapte natura est. Si, inquam, Deus hac ratione ad subiectum ali- quod determinatus esset, eius virtus contracta, & limitata foret. Caterum aliter se res habet: nam Deus in quouis subiecto, & quibuscumque acci- dentibus disposito, & quacumque distantia se- moto operatur: quod certè nulli agenti creato contingit. Ad tertium etiam dici potest: ut Deus modum operandi altioris rationis, quam

nulla creatura sibi vendicet, satis superque est id, quod omnes in confesso habemus, nimirum Deum independentē ab vlla causa efficiēti a se distincta operari, secus verò creaturam: vnde er- go necessarium est, ut Deus operari debeat inde- pendentē ab omni causa materiali, & creatura è contra dependentē ab ea operetur?

Assero secundò: possibilis est creatura, cui vir- tus creandi nativa sit: ita Alensis, Henricus, Du- randus, Gabriel, Hurtado, Arriaga, & alij complu- res. Probatur, primò: quia longè maius est, infi- nitam, omnique ex parte illimitatam Dei essen- tiam intueri, quam entitatem creatam, & finitam a non esse, ad esse per creationem traducere: at possibilis est creatura, quæ naturaliter Deum in- tueri, & clarè conspiciere possit: ergo & creatura, quæ entitatem creatam a non esse ad esse sine sub- iecto transferre, eamque creare naturaliter pos- sit: maior perspicua est: minor ex materia de vi- sione supponenda est. Secundò, quia indepen- dentia in operando a causa non solum finita, ve- rum etiam omnium causarum imperfectissima, qualis est materia prima, in eo cui conaturalis sit, infinitam perfectionem arguere nequit: ergo non est, cur creatura conuenire nequeat. Tertiò, quia ut assertionem sequenti constabit, creatura de facto existentes ad creandum supernaturaliter euehi possunt: cur ergo alia creatura altioris or- dinis possibiles non sint, quæ naturaliter creari queant? Quartò, quid maius est, ignem verbi gratia. Deo obedire in producendo calore abs- que vllò subiecto, quam in non producendo ca- lore in subiecto capaci, & approximato? at quo- ad hoc posterius ignis Deo obedire potest, ut in igne Babylónico cernere est: ergo & quoad illud prius. Quintò, tandem id ipsum constabit ar- gumentorum solutione: ad quam capite sequenti gradum faciemus.

Assero tertiò: Creatura de facto existentes di- uinitus, ac supernaturaliter ad aliquid creandum euehi possunt: ita Magister in 4. dist. 5. §. ult. D. Thomas in 4. quæst. 1. art. 3. quæst. iunc. 3. ad 3. & in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. Gabriel in 4. dist. 1. quæst. 1. Hurtado, & Arriaga in præsent. Probatur, quia in creaturis de facto existentibus datur virtus, quæ obediētiā appellatur, & effe- ctus rei minime connaturales respicit ut lib. 4. præcedenti ostendi: igitur non est, cur in iis vir- tus obediētiā ad creandum non insit, quamuis naturaliter creare nequeant. Secundò, huc ap- plicari possunt duæ priores rationes numeri præ- cedentis. Tertiò id ipsum solutione argumēto- rum capite sequenti tradenda, necnon dicendis numero sequenti constabit.

Assero quartò: probabile est, plures creaturas de facto supernaturaliter, & miraculosè creare: probatur, quia probabile est, accidentia Eucharis- tica, calorem verbi gratia aut siccitatem, aliasve qualitates similes, in quantitate non suscipi; id, quod cum reliquis accidentibus commune ha- bent: at hoc ipso ignis calorem Eucharisticum non creare non potest: maior perspicua est: mi- nor probatur, quia eadem numero actio genera- tiua, & creatiua esse potest, ut tract. sequenti la- tē ostendemus: igitur ignis calorem in hostia non consecrata generans, eundem calorem, per priorem actionem postea creabit: eum enim ge- nerare, siue dependentē a quantitate post conse- crationem producere non potest. Quo certè euen- tu

35.

36.

tu

tu non solum ignis creat, verum etiam per actionem quoad substantiam naturalem creat, esto quoad miraculosa sit: tum, quia est coniuncta cum independentia caloris subiecto, quam tamen suapte natura non postulat: tum, quia in eo euentu Deus miraculose supplet concursum causae materialis in calorem, in eumque, & velut causa vniuersalis, & velut causa particularis influit. Quae doctrina ne cui noua videatur, est expressa Durandi in 2. dist. 1. q. 4. & P. Molinae 1. part. q. 45. art. 5. disp. 1.

37. Deinde probabile est, transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, esse actionem, qua tota substantia Christi verè de nouo producit sub speciebus sacramentalibus: quae certè actio creatiua non esse non potest: at verba Sacerdotis ad eam actionem physicè concurrunt, vt longè probabilius est: ergo ad actionem creatiuam physicè concurrunt, ac proinde creant.

38. Affero quintò: nulla creatura de facto naturaliter creat, aut creauit. Probatur; tum, quia nullam operationem cernimus, quae à subiecto, causae materiali non dependeat: signum ergo est, eam esse conditionem rerum de facto existentium, vt nulla earum naturaliter creare possit: tum, quia siqua creatura de facto existens naturaliter creauisset, maximè creatura Angelica, quae ceteras dignitate antecedit; at nullum Angelum creasse perspicue docet Prosper in lib. sententiarum, quas ex operibus Augustini decerpit, continenturque ad finem tertij toni operum Augustini sent. 1. 46. ibi: *Nullius, quamuis minima natura, nisi Deum creatorem credi, aut dici licet ab aliquo; quia etsi Angeli iussi, aut permisi adhibeant operationem suam rebus, quae gignuntur in mundo, tam non sunt creatores animalium, quam nec Agricola frugum, atque arborum*: quibus verbis profecto sermo est Prospero, & Augustino de creatione in sensu nostrae controuersiae, & prout est productio rei ex non praesupposito subiecto, siue, quod perinde est, prout distinguitur ab actione generatiua, qua agens rei, quae gignitur, operationem suam adhibet, vt ex contextu apertissimum est; aiuntque Angelos, quantumuis per actionem generatiuam, ad formas animalium, aut certè ad dispositiones praeuias concurrant, easve applicent; eos tamen nequaquam creare animalia, aut secundum quid, quoad eorum materiam primam, aut simpliciter, & quoad eorum supposititalitatem, hoc que solius Dei proprium esse.

CAPUT V.

Argumenta contraria soluntur.

39. Pythagoraei, Stoici, Platonici, Trismegistus etiam Anaxagoras, & Galenus lib. de vsu partium. cap. 10. non pauci etiam Haeretici apud Augustinum lib. de Hares. in 46. & 59. & Tertullian. lib. contra Hermogen. cap. 1. & 8. & Iræneum, Lactantium, aliosque Patres rerum creationem possibilem esse negant.

40. Pro quorum errore contra primam assertionem cap. praet. obici potest, & solet, primò: infinitam distantiam non est pertransire: at inter ens, & nihil est infinita distantia: ergo non est, illam pertransire: eam autem pertransire est à nihilo ad

esse rem transferre, siue, quod perinde est, rem creare: ergo creare impossibile est. Secundo: nequit vlla virtus passiuæ rem sustentare absque concursu alicuius virtutis actiuæ: ergo è contra nequit vlla virtus actiuæ rem efficere absque concursu alicuius virtutis passiuæ, atque adeo creare nequit. Mitto alia, vel his leuiora. Ad primum respondeo, non posse pertransiri distantiam simpliciter infinitam à virtute finita, secus verò à virtute simpliciter infinita: quare quamuis creatura sola sua virtute finita distantiam infinitam inter ens, & nihil pertransire, & creare nequeat, non erit, cur Deus qua pollet virtute infinita, eam distantiam pertransire, & creare non possit? Ad secundum respondeo, manifestam esse vtrunque discriminis rationem: siquidem quidquid patitur, siue, quod recidit in idem; *omne, quod mouetur, ab alio mouetur*; ab alio, inquam, quod aliud sit, vel ab eo, quod mouetur, & patitur, vt cum lignum verbi gratia ab igne alteratur, vel ab alio, quod aliud sit à motu ipso, & passione, eiusque termino, vt cum viuientia ab intrinseco operantur, aut gratia, & leuia in centrum feruntur. Quod axioma Aristotelicum ita intellectum, & ex terminis ipsis notissimum est, motus enim terminos à quo & ad quem distinctos postulat; & à posteriori hac ratione confirmari potest: quia vbi mouens nec ab eo, quod mouetur, nec à motu ipso, eiusve termino distingui realiter debeat, non erit, cur Deus propriè moueri, & mutari non possit; non obstante omnimoda indistinctione praedicatorum, quae ei insunt. Quamuis autem Thomistae communiter cum Capreolo in 1. dist. 3. q. 3. & Ferrariensi contra Gentes cap. 23. sentiant, illud axioma intelligendum esse de distinctione reali mouentis ab eo, quod mouetur, & in eo sensu vniuersim verum esse; id tamen nequaquam assequi poterunt. Vt ergo eo, vnde digressus sum, reuertar; *omne, quod patitur, & mouetur, ab alio mouetur*: aliud autem à quo mouetur, est causa efficiens; atque adeo omne, quod mouetur, aut patitur, vel, quod perinde est; omne, quod in genere causae materialis sustentat, causam efficientem respicit. Quid mirum ergo, si virtus passiuæ sine virtute actiuæ suscipere nequeat? Ceterum; omne, quod efficit, in aliquo subiecto necessario non efficit: vnde non est, cur virtus actiuæ sine concursu virtutis passiuæ agere non possit.

Thomistae cum S. Thoma 1. part. q. 45. art. 5. Scotistae cum Scoto in 4. dist. 1. q. 1. Nominales cum Okamo quodlib. 2. q. 9. & in 2. dist. 1. q. 1. Henric. Aegidius, Suárez, Vasquez, alique Scholastici communiter tuerentur contra doctrinam traditam cap. praeterito assert. 2. 3. & 4. solius Creatoris ita proprium esse creare, vt nulla creatura per virtutem naturalem, aut obedientialem, de facto (vt aiunt) aut de possibili creare possit. Pro quorum sententia obici solet, primò auctoritas Sanctorum Patrum, ac in primis Athanasij serm. 3. contra Arrianos ibi: *Administrare creaturarum, & seruorum est; condere autem, & creare solius Dei, eiusque Verbi, & sapientia est*: Cyrilli lib. 2. contra Iulianum ibi: *inaccessa naturae sunt ea, quae propriè sunt solius, & omnium summæ substantiae; quorum vnum esse dicimus, efficaciter operari posse vt creatorem; & producere res, quae aliquando non erant*: Augustini lib. 9. super Genes. ad liter. cap. 15. ibi: *Angeli nullam omnino possunt creare naturam: solus enim vnus, cuiuslibet*

liber natura, seu magne, seu minima creator est
Deus: & infra: creare naturam tam nullus An-
gelus potest, quam nec se ipsum: Damasceni 2.
lib. fidei orthod. cap. 3. ibi: Quicumque dicunt,
Angelos conditores esse cuiusunque substantia, ip-
sus Diaboli sunt, eorum quidem Patris: creatu-
re enim cum sint, non sunt conditores: omnium ve-
rò factor, & prouisor, & contentor Deus est solus.
Quibus Patrum verbis, pende primo contra se-
cundam assertionem, solius Dei proprium dici,
hoc, quod est, creare, creatorem esse, aut produ-
cere res, quæ nullo modo, & nec in se, nec in subie-
cto, siue in semine aliquando erant: ergo id
creaturæ connaturale esse, aut ex natua virtute
conuenire non potest. Pende secundo contra
tertiam assertionem, tam non creare posse Ange-
lum aliquam naturam à se distinctam, quam non
se ipsum: at Angelus ad se ipsum creandum nec
diuinitus, & obediencialiter euehi potest: deinde
ex eo dici, Angelum creare non posse, seu condi-
torem esse nequire, quia creatura est: at Angelus
conditione, statuque creaturæ eximi, vel ad esse
Dei eleuari nequit: ergo nec ad creandum potest
eleuari. Pende tertio, solum Deum cuiuslibet
naturæ creatorem dici, eumque solum substantia-
rum subsistentium, & à materia independentium
factorem, prouisorem, & contentorem appellari:
ergo præter eum nulla virtus creata de facto,
etiam supernaturaliter creauit, aut independen-
ter à subiecto produxit. Et quidem, cum à caren-
tia potentia requisita legitima sit consequentia
ad carentiam actus; nullaque creatura virtute
naturalis, aut obedienciali ad creandum polleat, sa-
ne fieri non potest, vt virtus aliqua creata de fa-
cto vllatenus crearet.

42.

Obiicies secundo ex D. Thoma 1. p. q. 45. art.
5, effectus vniuersalissimus causæ vniuersalissi-
mæ soli attribuendus est: terminus autem crea-
tionis est effectus vniuersalissimus: soli ergo
Deo attribui potest, atque adeò nulli creaturæ.
Maior perspicua est: minor probatur; quia ter-
minus creationis est ens in quantum ens, cum
creatio sit traductio rei à non esse ad esse, siue ad
ens: sed ens graduū omnium superiorū supremus,
& vniuersalissimus est. Obiicies tertio ex Thomi-
stis: quo magis agens aliquod elongatur à subie-
cto, eo maiorem virtutem, & perfectionem exi-
git: quæ ratione ignis agens in lignum distans vt
quatuor maioris virtutis, ac perfectionis arguitur
esse, quam qui solum operari potest in lignum
distans vt duo: idemque dicendum est de igne
operanti in ligno distante vt octo, comparatione
eius, qui in ligno distanti tantum vt sex, potest
operari: sed agens per creationem simpliciter in-
finitè elongatur à subiecto: ergo virtutem, &
perfectionem simpliciter infinitam sibi vendicat.
Maior simul proposita, & probata est: minor in
hunc modum explicatur, atque probatur: quia
cum agens existit, & subiectum, in quo operetur,
nullo modo existit, nec in rebus reperitur; elon-
gatio agentis à subiecto summa est, ac simpliciter
infinita; & quidem maior, quam si inter agens,
& subiectum alioqui existens infinita spatia ima-
ginaria interiecta essent. At agens per creatio-
nem ita comparatur cum subiecto, vt subiectum,
in quo operetur, siue quod respectu illius subie-
ctum sit, in rebus nullo modo existat, sicut agens
existit: ergo agens per creationem à subiecto
simpliciter infinitè, siue, quod perinde est, summe

distat, & elongatur. Declaratur: quo minor est
proportio inter agens, & subiectum, eo agens mi-
nus operari potest: quando ergo nulla est pro-
portio inter vtrumque, nullo modo agens opera-
ri poterit, loquendo de agente creato: at inter
agens per creationem, & subiectum nulla est pro-
portio, eo quod agens per creationem nullum
subiectum remotum; aut propinquum respiciat.

Quartò obiicies ex iisdem, sequi ex nostra sen-
tentia, potentiam aliquam generatiuam futuram
æqualem potentia creatiua: sit enim potentia
creatiua finita in perfectione octupla, & potentia
generatiua in perfectione quadrupla: quo posito,
negari non potest, possibilem esse potentiam ge-
neratiuam in perfectione octuplam, vtpote quæ
bis plures effectus, aut eundem in bis maiori di-
stantia, quam prior potentia generatiua producat:
at potentia generatiua quoad perfectionem octu-
pla potentia creatiua creata, seu finita æqualis
non esse non potest. Quintò etiam ex Thomi-
stis obiicies, inter ens, & nihil est infinita distan-
tia, & qua alia maior esse nequit: sed per creatio-
nem ea distantia vincitur: ergo per creationem
vincitur distantia simpliciter infinita: atqui ad
vincendam distantiam simpliciter infinitam re-
quiritur virtus simpliciter infinita: ergo ad crean-
dum ea requiritur: cum ergo nulla creatura pol-
leat virtute simpliciter infinita, sanè nulla crea-
tura poterit vllatenus creare.

Obiicies sextò ex Scoto, & P. Vasquez: si qua
creatura creare posset, præcipue creatura libera
operans per intellectum, & voluntatem; cum
hæc reliquas creaturas perfectione superet, adeo-
que modum operandi perfectiorem, qualis est
creatio, sibi vindicare debeat, si quæ alia: at hæc
nulla ratione creare potest: ergo, &c. Minor
probatur: quia cum intellectus, & voluntas acci-
dentia sint, nulla ratione substantiam, quæ termi-
nus creationis est, producere possunt. Septimò
ex P. Suarez: ad perfectionem vniuersi requiri-
tur, vt in eo gradus omnes agentium existant, &
producantur: at creatura suapte natura potens
creare, peculiarem gradum agentis constituit, di-
uersum ab eo, in quo sunt reliqua agentia nobis
nota: ergo eiusmodi creatura à Deo de facto pro-
duci deberet: sed producta non est: ergo quia
est planè impossibilis. Octauo ex P. Hurtado:
modus operandi est proportionatus modo essendi
ex natura rei, & seorsim à quouis miraculo lo-
quendo: quæ ratione, quia animæ brutorum in ef-
se à materia dependent, ab ea etiam in operari for-
tiuntur dependentiam: at nulla creatura est,
quæ in suo esse non habeat aliquam compositio-
nem, aut ex materia, & forma; aut ex subiecto, &
accidenti; aut ex natura, & supposito; ac proinde
quæ quoad aliquod suum esse à causa materiali
non pendeat: ergo etiam nulla erit creatura, quæ
naturaliter loquendo ab aliqua causa materiali in
operando non dependeat.

Nondè, ex ingeniosis recentioribus: quia Deus
modus aliquem operandi adeo perfectum sibi
vindicare debet, vt is nulli creaturæ, etiam diuini-
tus, possit communicari: at is modus operandi
alius esse nequit, quam creatio: ergo &c. Maior
probatur; tum, quia id ad perfectionem diuinæ
omnipotentia spectat: tum à paritate, quia is co-
gnoscendi modus, eaque claritas diuini intelle-
ctui conueniunt, quales nulli creaturæ, etiam di-
uinitus.

43.

44.

45.

uinitus, communicari queunt. Decimo, ex aliis: si creatura aliqua naturaliter, aut obedientialiter creare possit; maxime per volitionem Dei, cum hæc sola sit actio creatura: sed nulla creatura per volitionem Dei, tanquam per causalitatem operari potest, ut tractat. præcedenti cap. i. ostensum est ex professo: igitur &c. Postremo ex aliis: omnis causa instrumentalis præuie operatur in subiecto, illudque disponit pro priori ad actionem causæ principalis, ut inductione constat omnium instrumentorum: sed agens per creationem, quatenus talem, in subiecto aliquo præuie operari non potest, cum terminus creationis à subiecto sit omnino independens: ergo agens per creationem causa instrumentalis esse non potest: esset autem, si à Deo ad creandum tanquam instrumentum posset eleuari. Hactenus argumenta contraria:

46. Quæ tamen non vigent. Ad primum desumptum ab autoritate Patrum respondeo, creationem, præter varias eius acceptiones ad initium huius tractatus expositas, vltius accipi posse, non solum pro productione rei independentem à subiecto, siue causâ materiali, verum etiam pro productione rei independentem ab alia causa efficiendi distincta, præsertim principali: cur enim productio rei ex nihilo subiecti, seu causæ materialis creatio appelletur; & productio rei ex nihilo causæ efficientis, distincta, atque cooperantis creatio etiam appellari nequeat? Creatio ergo in hac acceptione solius Dei propria est, & nulli creaturæ à Deo communicari, etiam diuinitus, substat: siquidem Deus independentem à causa efficiendi à se distincta, pleræque operatur: si quid autem in consortio causæ efficientis creaturæ operatur, tunc certe actio Dei à causa efficiente creata, non tanquam à causa principali, quæ principalis sit respectu Dei, sed velut ab instrumento dependet. Cæterum, nulla creatura, etiam diuinitus, operari potest absque cōcursu causæ efficiendi à se distinctæ Dei nimirum, ut supra libro præcedenti ostendimus.

47. Quod autem de creatione hoc pacto accepta, non verò de ea, quæ præsentis instituti est, quæque in productione rei independentem dumtaxat à causa materiali consistit, sermonem habent Patres, quoties creationem solius Dei propriam esse, & nulli creaturæ communicatam, aut comunicabilem esse asserunt. In hunc modum suadeo: quia etiam allegatis Sæctorum Patrum testimoniis, docetur, non tantum solius Dei esse, creare, verum etiam eius solius esse condere, efficaciter operari, providere, facere, & continere: at hæc omnibus limitanda sunt ad condere, operari, facere, &c. tanquam causam adæquatam, & ab alia efficiendi independentem; alias falsò diceretur, solum Deum condere, efficaciter operari &c. cum etiam creatura dependenter à causa efficiendi, saltem prima quodammodo operetur &c. ergo etiam illud, quod de creatione dicitur à Sanctis Patribus, limitari debet ad creationem, qua agens independentem ab omni causa, etiam efficiendi distincta operetur: qua sanè ratione solus Deus operari poterit.

48. Respondeo secundo ad idem argumentum, accipi posse creationem pro productione, siue actione, cuius ratio sub qua est ens ut sic (puta finitum) quæque rem producit in singulari, non tamē quia singularis est, sed quia est ens: cur enim, sicut datur actio intentionalis, cuius ratio sub qua sit verū ut sic, nimirum cognitio, & actio intentionalis, cuius etiā ratio sub qua sit bonum ut sic, nempe amor;

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

dari etiam nequeat actio physica, cuius ratio sub qua sit ens ut sic (puta finitum): quod enim infinitum est, sicut nullam actionem, seu causalitatem terminare, ita nullius ratio sub qua esse potest. Hæc autem actio rationē hanc sub qua vniuersalissimam sibi vendicans, cum ex modo tendendi perfectissima sit, perfectissimæ actionis nomen suo sibi iure vendicat, atque adeo creatio appellari debet. Porro agens per creationem hoc modo usurpatam, & prout est productio rei singularis sub ratione entis potest, si velit, omne ens producibile producere, haud secus, ac intellectus, quia cognoscit per actum, cuius ratio formalis sub qua sit verum, siue cognoscibile ut sic, potest cognoscere omne cognoscibile: idemque in voluntate, visu, & aliis potentiis cernere est. Quare solius Dei proprium erit, hac ratione creare, cum solus Deus omne ens producibile producere possit: nulla verò creatura hac ratione creare poterit, eo, quod nulla possit omne ens finitum producere, quia saltem se ipsam producere non potest. Quo certè alluisse videtur D. August. supra allegatus in hæc verba, ibi: *am creare naturam Angelus non potest, quam nec se ipsum.* Itaque tum Augustinus, tum cæteri Patres superius allegati, de creatione, non prout in præsentī controuersia ponitur, sed prout hoc numero explicata possunt intelligi.

Ad secundum argumentū respondeo, creationem prout est productio rei ex nihilo, siue ex non præsupposito subiecto haud quaquam sibi præstitueret terminum vniuersalissimum, nimirum ens ut sic: aut enim sermo est de termino, qui per creationē prout in præsentī sumptam producatur, uti Thomista contendunt: & ita ens ut sic, esto addideris, finitum, per hanc numero creationem non produciatur; alias hæc creatio non solum Angelum v.g. verum etiam animum rationalem, quantitatem Eucharisticam, & quod adhuc impossibilius est, formam leonis, equivæ, aut aliam quamvis generatione productam: & quidem cum omnis actio circa singularia sit, iuxta illud Philosophi: *Medicus non curat hominem, sed Socratem, aut Calliam* fieri nequit, ut creatio, quæ vera actio est, rationem communē entis, etiam finiti producere possit. Aut sermo est in ea solutione de termino vniuersalissimo, prout terminus cum ratione sub qua coincidit: & ita restat probandum Angelico Præceptori, solam, & omnem productionem rei ex non præsupposito subiecto habere rationē sub qua vniuersalissimam (puta rationem entis ab alio ut sic: si quādo enim productio rei ex nihilo adeo vniuersaliter tendit, id quidem eo est, non quia est productio rei ex nihilo, sed quia est actio solius Dei, quæ à dependentia, aut independentia à subiecto abstrahit.

Ad tertium argumentum respondeo, distincta maiori: quo magis elongatur, siue distat agens à subiecto, in quo operatur, eo maior in agente virtus requiritur, proportionē Geometrica, secus verò Arithmetica. Id est: quoties in maiori distantia à subiecto vnum agens operatur, quam aliud, certè virtus vnius agentis, maior virtute alterius agentis esse debet: cæterū vnum agens ob id non debet tantum aliud superare, quantum vna distantia excedit aliam: quare quamvis aliquod agēs simpliciter infinite distet, & elongetur à subiecto, in quo operari possit, atque eius distantia à subiecto simpliciter infinite excedat distantiam aliorum agentium, non propterea virtus eius agentis simpliciter infinita esse, aut simpliciter infinite

virtutem

virtutem aliorum agentium superare debet. Unde agens per creationem, quamvis à subiecto summè, & simpliciter infinitè distans sit, non propterea eius virtus simpliciter infinita esse, aut suprà conditionem creaturæ esse debet. Hac ratione, quo perfectius est aliquod obiectum, eo perfectior est eius visio: quia tamen hæc supputatio Geometrica, non Arithmetica esse debet, ideo, cum obiectum alicuius visionis est simpliciter infinitum, atque infinitè superans reliquarum visionum obiecta, visio illa ob id infinita esse, aut reliquis visionibus simpliciter infinitè perfectior esse debet: aliàs profectò Deus nequiquam à nobis videri posset, contra quam fides testatur. Mitto, calculationem illam, fieri tantum posse in agentibus, quæ naturaliter, & per generationem, ac motum operantur: inductio enim ab aduersariis facta in huius rationis agentibus duntaxat facta est, nec in aliis, experientia duce, fieri potest: quare ex ea calculatione tantum colligitur, cum agens aliquod naturale, & per generationem infinite elongatur à subiecto, nullumque subiectum est, in quo operari possit agens, hoc ne diuinitus eleuari posse, ad hoc, vt in subiecto opereatur: quod verissimum est; verum nobis nulla ratione officit.

51. Ad quartum respondeo; quamvis virtus creata per creationem operans finita sit, haud quaquam quam conuinci, virtutem aliquam generatiuam ei æqualem esse, quia si aliunde non obsit, poterit esse altioris rationis, & ea, ad quam nulla virtus generatiua, quamvis infinitè multiplex sit, accedere, eamve æquare possit, haud aliter ac species brutorum infra hominem infinite multiplicantur, & perfectiores, ac perfectiores sine fine esse possunt, quin propterea vlla esse possit, quæ perfectionem hominis assequatur. Sed demus, inquit Aduersarij, virtutem generatiuam esse duplo minorem virtute creatiua: ergo si detur alia virtus generatiua duplo maior priori virtute generatiua, utpote quæ in duplo maiori distantia operetur, hæc posterior virtus generatiua virtuti creatiue æqualis erit. Verum virtus creata nequit esse, duplo aut etiam quadruplo, aut sextuplo maior virtute aliqua generatiua, aut hæc illa minor, vt aduersarij supponunt: hæc enim proportio est gradualis, & Arithmetica; quæ (vt suprà notauimus) in hoc euentu, locum non habet: virtus enim creatiua est altioris rationis quauis virtute generatiua, & sic cum ea Arithmetice comparari nequit: vnde additione graduum perfectionis nulla virtus generatiua ad perfectionem virtutis creatiue accedere poterit. Et quamvis accederet, nullum certe inconueniens esset: quamvis enim virtus illa generatiua ex modo operandi esset imperfectior virtute creatiua, certè hanc imperfectionem, vel perfectione termini, in quem tendit, vel perfectione agentis, à quo proficiscitur, compensari posset.

52. Ad quintum, missis aliorum solutionibus, quæ sanè à nobis lib. præcedenti, falsitatis conuictæ sunt, respondeo primò per instantiam: nam etiam inter terminum à quo, & terminum ad quem actionis generatiue est similiter infinita distantia: licet enim actio generatiua non sit productio rei ex nihilo subiecti, est tamen productio rei ex nihilo ipsius rei, cum per eam terminus, qui antea simpliciter aliquid non erat, sed omnino nihil, postea aliquid in rerum natura sit: at inter nihil

ipsius rei, & eius esse, est simpliciter infinita distantia: ergo hæc distantia absque virtute simpliciter infinita pertransiri non potest: atque adeo creatura, quæ finita duntaxat virtutis est, eam pertransire non poterit; sic quæ non minus generare, quam creare conditionem creaturæ excedit, si quid argumentum positum conuincit. Respondeo secundo: absolute, creatio ob simpliciter infinitam distantiam inter duos terminos à quo & ad quem, nimirum esse Angelum, & non esse Angelum, quos interiacet, virtutem simpliciter infinitam postulat, eam tamè propterea in causa magis principali postulare poterit, non tamen in causa minus principali, qualiscunque sit: cum ergo creatura, siue natiua, siue obedientiali virtute creas sit causa minus principalis respectu Dei, qui eius actionis causa prima, & vniuersalis non esse non potest; sanè necesse non est, vt creatura creans infinitæ virtutis sit, sed satis est, vt causa prima eam infinitatem sibi vindicet: & ita ferè Pater Valsquez 1. part. disp. 126. cap. 2. n. 3.

Ad sextum respondeo; in primis non esse, cur sola creatura per intellectum, & voluntatem operans virtute creandi prædita sit, eave (vbi semel admittatur) creatura etiam irrationalis, aut insensibilis pollere nequeat. Hinc enim nequiquam fieret, creaturam hanc creatricem creatura intellectuali increatrice, Angelo v.g. perfectiorem esse; quia Angelus perfectionem illam creandi, quæ sibi deest aliis ex capitibus non solum compensare potest, ita, vt creaturam illam non solum perfectione adæquet, verum etiam superet. Quæ ratione quamvis cæli incorruptibiles sint, & rerum omnium sublunarium vniuersales causæ sint, & in hoc hominem superent: cæterum, hanc perfectionem cælorum propriam aliis ex capitibus homo ita compensat, vt cælos toto cælo perfectione superet. Deinde, esto sola creatura rationalis, & intellectu, & voluntate prædita vim creandi fortiri posset, inde nullum inconueniens sequeretur: quia intellectus, & voluntas accidentia creaturæ rationalis non sunt, sed cum eius substantia identificantur: ergo quamvis creatura illa intellectualis per intellectum, & voluntatem, tanquam per potentias, substantiam aliquam crearent, non ob id substantia ab accidenti produceretur. Rursus, si vt philosophatur Durandus, creatura illa spiritalis per intellectum, & voluntatem, tanquam per potentias executiuas, & effectiuas, sed tanquam per potentias imperantes, & directiuas substantiam creet, idem inconueniens facile declinari potest. Præterea, si potentia creatiua alicui creaturæ à Deo communicata non ad substantiam aliquam, sed ad aliquod accidens producendum communicetur, absque negotio id ipsum inconueniens euitatur. Tandem: quanquam accidens naturaliter nequeat producere substantiam: quid constare potest, illud supernaturaliter, & diuinitus substantiam producere non posse? Certè oppositum vsu venire in transubstantiatione panis in corpus, & sanguinem Christi, vi verborum facta, probabilius est: ergo etiam ex hoc capite inconueniens illud penitus corruit: immò in alio rerum ordine fieri potest, vt nonnulla accidentia eo perfectionis accedant, vt substantiam naturaliter producere possint: cur ergo intellectus, & voluntas, quantumvis accidentia sint, alicuius creaturæ creatrices potentia exequentes, siue effectiue, etiam connaturales non sint?

Ad

54. Ad septimum respondeo; gradus omnes agentium naturalium à Deo productos non esse: tum, quia gradus omnes agentium naturalium infiniti sunt, cum modus operandi infinities diuersificari possit: at infiniti gradus agentium naturalium à Deo producti non sunt: tum, quia gradus omnes entium à Deo producti procudubio non sunt: ergo &c. tum, à posteriori: quia si, agens aliquod ad operandum certam distantiam non postulare, sed æquè in propinquo, & remoto operaretur, certè agens hoc peculiarem gradum inter reliqua agentia constitueret; & tamen huiusmodi agens à Deo productum non est: ergo non quilibet gradus agentis naturalis à Deo in rerum natura productus est. Quantumuis ergo, agens, quod natua virtute creare posset, specialem gradum inter reliqua agentia obtineat, & constituat; non ob id censendum, illud de facto à Deo productum esse. Et quidem hic arguendi modus nemini probari potest: potuit aliquid à Deo produci, ergo debuit produci; vel, ergo de facto productum est.

55. Ad octauum respondeo; modum quidem operandi cuiuscunque agentis creati proportionem seruare posse cum eius modo essendi, esto agens aliquod creatum naturaliter creare possit: siquidem agens aliquod creatum existit independentè à subiecto, Angelus verbi gratia. Quare si sit possibilis Angelus qui naturaliter creet; & independentè à subiecto aliquid producat, tantum aberit, vt inter eius modum essendi, & modum operandi non sit proportio, vt potius ea magna ex parte deesset, si terminum illum non crearet, sed generaret: siquidem tunc agens absolutè existeret independentè à subiecto, secus verò eius effectus. Nec ob est, quod agens illud, cui virtus creandi naturaliter insita esset, aliquam compositionem importaret, & quoad aliquod suum esse à subiecto dependeret: siquidem terminus etiam ab eo creatus, quantumuis creatus esset eadem ratione compositione aliqua gaudere, aliquamque independentiam à subiecto sibi vendicare deberet.

56. Ad nonum respondeo: modus aliquis operandi Deo conuenit, qui altioris rationis sit, quam vt vlli creaturæ conuenire possit. Cæterum, is operandi modus non est creatio, quatenus hæc est productio rei ex nihilo, & in præsentī controuertitur, sed quatenus sumitur in vno, aut altero sensu, quem supra in solutione primi argumenti exposuimus. Ad decimum respondeo: actionem creatiuam possibilem esse, deque facto reperiri, quæ à volitione distincta sit, vt supra semel, & iterum ostendimus.

57. Ad vltimum respondeo; de ratione instrumenti vt sic non esse præuic operari in subiecto: quæ ratione lumen gloriæ est instrumentum ad visionem Dei, cum tamen in intellectu nihil præuic operetur, sed solum intellectum informet: & cognitio etiam est instrumentum amoris, quin tamen nihil præuic ad amorem operetur, ipsumque amorem primam & postremum producat. Vnde admitti poterit agere creatum, quod ad creationem velut instrumentum euehi possit; esto eius causalitas instrumentalis à subiecto independentens sit, haud secus, ac eius terminus à subiecto independet.

58. Obiicies contra quintam, vltimamque asserti-
R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

tionem capitis præteriti ex Beato Thoma 1. p. questione 45. art. 5. creaturæ corporeæ corruptibiles naturaliter possunt sibi similes producere; ignis verbi gratia idem: ergo à fortiori creaturæ incorruptibiles, & spirituales, quæ corporeis longè perfectiores sunt, alias sibi similes producere poterunt, verbi gratia Angeli alios Angelos: at non per generationem, vt patet: ergo per creationem. Secundo: creatura aliqua potest naturaliter facere aliquid ex subiecto contrario, & positiuè resistente, vt in lucta ignis cum ligno cernere est: ergo à fortiori creatura naturaliter operari poterit, cum nihil ei positiuè resistit: at cum aliquid creatur, & ex nihilo fit, nihil agenti positiuè resistit: ergo creatura naturaliter creare poterit. Tertio: terminus creationis est finitus: ergo virtus aliqua finita de facto existens ad eius productionem sufficet, & virtutem habebit connaturalem.

Ad primum horum, prætermissa solutione Beati Thomæ, respondeo: sicut ignis ignem producere potest; & tamen sol alium solem producere nequit, quantumuis sol igne perfectior sit; ita similiter quamuis substantiæ spirituales corporeis perfectiores sint; at nihilominus poterunt creaturæ corporeæ alias sibi similes producere, quin ob id creaturæ spirituales alias similes debeant producere. Ratio autem à priori disparitatis est, diuersa vtrarumque natura. Ad secundum respondeo; negata prima consequentia: quia maior virtus requiritur non solum ob maiorem resistantiam passi, sed etiam ob modum agendi ex nihilo: quare, quantumuis virtus creandi nullam resistantiam passi vincat, tamen virtute generatiua maior esse poterit: atque adeò ea, quæ nulli creaturæ naturaliter valeat conuenire. Ad tertium respondeo: sicut terminus creationis est finitus, ita virtus creatiua ad illum terminata, etiam finita est: cæteram non omnis virtus finita de facto datur, aut etiam naturaliter dari potest: quare non est, cur virtus aliqua suapte natura creatiua de facto detur, aut etiam (si aliunde non obstat) de facto dari debeat.

CAPVT VI.

Quæ res creentur?

Aspero primò: materia prima creatur. Cum enim sit primum subiectum, vt cum Aristotele 1. Physicor. cap. 6. omnes largiuntur, sanè dependentè à subiecto produci non potest: à quo enim? nec enim dependentè à se ipsa, vt compertum est: nec dependentè ab alio subiecto anteriori, alias non foret primum subiectum. Ex quo rursus fit, materiam primam incorruptibilem esse: quæ enim naturaliter creantur, ea incorruptibilia, & immortalia sunt, vt exemplo animi rationalis, & Angeli perspicuum est: & quidem tota agentium naturalium contrarietas, & dissidium est, non vt materiam primam destruant, sed potius vt eam vi, atque impressione nouæ alicuius formæ conferuent: quæ ergo ratione fieri potest, vt materia prima naturaliter siue ob exigentiam agentium naturalium pe-
reat?

2. Asserto

61.

Assero secundò : anima rationalis , & Angelus naturaliter creantur. Creatio animæ rationalis perspicua est : etenim , si anima rationalis generatur , & producitur dependenter ab aliquo subiecto , maximè ab eo , in quo est , nimirum à materia prima : sed dependenter ab hac minimè producitur , aliàs materialis , & corruptibilis futura , more formarum insensibilium , & irrationalium , quæ ob similem dependentiam materiales sunt , atque corruptibiles. Creatio Angelus non minus in aperto est : siquidem Angelus non constat subiecto , & forma substantiali ; de quo fortassis alibi : ergo independenter à subiecto producitur , cum nullum ei insit subiectum , ut dictum est , à quo in fieri dependeat : atque adeo creatur. Assero tertio : accidentia omnia absoluta , & non modalia diuinitus creari possunt : id , quod in quantitate saltem Eucharistica fide sanctum est , utpote quæ independenter à quouis subiecto post consecrationem conseruatur.

62.

Assero quarto : modi etiam diuinitus creari nequeunt. Etenim modus qualiscunque sit , est vnio sui ipsius cum subiecto : at vnio est passio & dependentia intrinseca à subiecto , ut lib. præcedenti ostensum est , cum sermo esset de causa materiali : quouis igitur modus est essentialiter passio , & dependentia sui à subiecto : atque adeo independenter à subiecto produci non potest. Quæ verò P. Hurtado disputatione 12. Physicor. sect. 5. opponit , nullius momenti sunt : eo , quod supponant vnioni , vbiæationi , & cuius alij modo tantum essentialiter esse , afficere , & denominare subiectum , non verò ab eo in genere causæ materialis dependere : cuius oppositum tamen nobis supra magis probatum est.

63.

Assero quinto : qualitates supernaturales , siue physica , siue intentionales sint , quamuis diuinitus creari possunt , de facto tamen non creantur. Hæc assertio à P. Vasquez 1. part. questione 45. art. 3. disputatione 124. cap. 2. & 3. rectè probatur , primo : quia creatio strictè sumpta est productio rei ex nihilo , idest , ex nullo præsupposito subiecto : at accidentia supernaturalia non producuntur ex nullo præsupposito subiecto : ergo non creantur : minor probatur , quia accidentis ut sic , esse est inesse , siue inherere , uti fert commune proloquium ; sed accidentia supernaturalia verè accidentia sunt : ergo ex natura sua habent inesse alicui subiecto , siue , ab eo dependere : ergo independenter ab illo non producuntur. Secundò : ad hominem contra Thomistas : quia sacramenta nouæ legis sunt instrumenta physica gratiæ , & donorum supernaturalium : nec ad eorum productionem solum moraliter concurrunt : at sacramenta nouæ legis instrumenta physica creationis , iuxta eosdem ne diuinitus esse possunt : ergo productio gratiæ , & donorum supernaturalium creatio non est. Præterea vnio hypostatica est se ipsa essentialiter dependentia sui ab humanitate Christi , more reliquorum modorum : ergo dependenter ab humanitate Christi producitur : ergo generatur , ergo non creatur. Quid ergo vetat , quominus idem de reliquis accidentibus supernaturalibus , & absolutis philosophemur : cum rationes aduersariorum non minus , imò mul-

tiò magis in vnione hypostatica militent. Deinde dona supernaturalia in genere causæ efficientis à potentia naturali eleuata dependent , ut supra lib. 4. tract. 7. cap. 3. ostendi : ergo à fortiori ab ea in genere causæ materialis dependere possunt , ac de facto dependent , atque adeo non creantur.

Verum , communis Scholasticorum sententia est , nec gratiam , nec donum vllum supernaturale de facto creari , ut constat ex iis , quos Pater Vasquez vbi supra , qua solet eruditione , laudat : cuius sententiæ primum fundamentum sit : cum homo iustificatur , dicitur creari in gratia : ergo quia gratia in eo creatur : antecedens perspicuum est ex illo Pauli ad Galat. *nec circumcisio aliquid valet , nec præputium , sed noua creatura* , & ad Ephes. 2. ibi : *ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in bonis operibus* , & 4. capite ibi : *induite nouum hominem , qui secundum Deum creatus est in iustitia , & sanctitate veritatis*. Secundum fundamentum eius sententiæ est : quia gratia infunditur animæ à Deo independenter ab vllis præuiis meritis hominis , & absque vlla potentia naturali , cui gratiæ infusio debita sit : ergo ex nihilo à Deo producitur , atque adeo creatur : antecedens sine Pelagianismo negari non posse videtur : consequentia in aperto est.

64.

Ad vtrumque argumentum respondeo : creatio bifariam accipi potest : primò , pro creatione propria , & physica ; qua res independenter ab omni subiecto physico , eius receptiuo producitur : secundò , pro creatione impropria , & morali ; qua forma aliqua supernaturalis independenter à quibusvis meritis , & dispositionibus moralibus producitur. Quocirca productio gratiæ creatio moralis , & impropria est : id , quod vnum , & alterum argumentum oppositum suadet , & nobis non aduersatur : creatio physica , & propria non est : quandoquidem gratia independenter quidem à meritis , & potentia naturali , non verò independenter à quouis subiecto , obedientialiter , saltem , eius capaci producitur.

65.

Assero sexto : compositum , siue totum substantiale , & per se , quale est cælum , homo , &c. non solum creari potest , verum etiam de facto creatur : primò , quia id habetur 1. Genes. ibi : *in principio creauit Deus cælum , & terram* , & inferius : *creauit Deus hominem ad imaginem , & similitudinem suam* : quæ testimonia de creatione strictè sumpta , & prout creatio est productio rei ex nihilo , exponenda esse cum Glossa censet D. Thomas questione 45. art. 2. Secundo ad hominem contra pleròsque aduersariorum : quia iuxta eos homo formalissimè consistit in corpore , & anima , ac vnione , nec ab iis vllatenus distinguitur : at corpus hominis creatur , eiusque etiam anima creatur : ergo omnes eius partes creantur , atque adeo in se homo absolute creari censendus est. Quod enim vnio partium hominis in conceptu hominis intrinsecè inclusa generetur , non video quatenus prodesse possit ad hoc , ut homo , cuius non solum præcipua , verum etiam vtrique pars creata est , adhuc generetur : aliàs certè quæ ratione vnio illa est merè materialis , & corporea , & nulla

66.

nulla ratione spiritualis, homo etiam ab ea merè materialis, & corporeus esset: & vti suprà libro 2. notauimus: sicut vnio illa est diuersa speciei in Petro ab vnione Pauli; Petrus etiam à Paulo diuersa speciei non esse non posset.

67. Tertiò: quia homo verbi gratia absolutè, & simpliciter non est forma: hæcque propositio, *homo est sola forma hominis*, proculdubio falsa est: at sola forma à subiecto, cui inest, dependere potest, vt compertum est: ergo homo absolutè, & simpliciter à subiecto, cui inest, dependere non potest: ergo dependenter à subiecto, cui inest, non producit; ac proinde non generatur, sed creatur. Demum: quia vt libro 2. statuimus; totum per se distinguitur realiter à suis partibus, & cum iis non comparatur tanquam forma cum subiecto, cui inest: (aliàs cum iis compositum aliud constitueret, & sic absque fine in componendo progressio esset) sed comparatur cum iis tanquam terminus intrinsecus cum fundamento, ex quo resultat: ergo totum per se non producit dependenter à subiecto, cui inest; atque adeo non generatur, sed creatur. Quod autem totum per se, homo verbi gratia, dependat à causa materiali, non cui inest, sed potius quæ ipsi inest, quaque constituitur; non arguit, eum generari: aliàs materia prima generaretur, cum dependeat à causa aliqua materiali sui constitutiva, nimirum à suis partibus: quarum quævis causa materialis est, integramque materiam constituit. Ex his argumentis pleræque ostendunt, compositum substantiale, & per se, ne diuinitus etiam generari posse.

68. Verum P. Vasquez vbi suprà capite 4. & P. Hurtado disputatione 6. Physicor. sect. 4. censent, compositum generari, non verò creari: cuius sententiæ primum fundamentum sit: productio vnionis est absolutè, & simpliciter productio totius: at productio vnionis est generatio, non verò creatio: ergo & productio totius, non creatio, sed generatio censenda est. Minor indubitata est: maior probatur, quia intellecta productione vnionis, intelligitur productio totius; cum implicet vnionem produci, non productio toto: intellecta verò productione cuiusvis partis, aut etiam vtriusque non intelligitur productio totius; cum non implicet, quamlibet, aut vtramque partem totius produci, toto non producto: ergo productio solius vnionis absolutè, & simpliciter productio totius censenda, & appellanda est. Secundò, quia creari est, produci aliquid ex nihilo: at compositum non producit ex nihilo, sed ex partibus: ergo non creatur, sed generatur. Tertiò: quia totum est natura posterius partibus, ab iisque dependet, & intrinsecè causatur: at altera pars totius est subiectum: ergo totum à subiecto dependet in suo esse, atque dependenter à subiecto producit, sicut ad eius generationem oportet. Quartò: ex illo sacra pagine: *Abraham genuit Isaac*, aliisque similibus testimoniis, necnon ex vniuersa Philosophia, in qua quid celebrius, quàm quod *solus homo generant hominem*? ergo homo generatur, non creatur.

69. Verum ad primum respondeo: in primis potest produci, & in rebus reperiri vnio partium hominis, materiæ videlicet, & formæ
R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

rationalis, quin hic numero homo producat, sed alius. Quare non est, cur productio hominis in productione vnionis ita sit, haud secus, ac productio vocationis humane in productione hominis non consistit: quia licet productio hominis necessario aliqua eius vocatione, iuxta aduersarios, produci debeat, non tamen hæc numero. Deinde: productio filii in diuinis non potest non produci Spiritus Sanctus, & tamen productio filii in diuinis non est productio Spiritus Sancti, cum altera sit generatio, altera verò spiratio: ergo quantumuis verum esset, producta vnione partium etiam hoc numero totum necessario produci, nequiquam inde sequeretur, productionem vnionis esse productionem totius.

Ad secundum respondeo: creari esse rem produci, non ex nihilo partium, quibus intrinsecè constet: aliàs neque materia, neque Angelus crearentur, cum materia prima, vtpote essentialiter continua, & diuisibilis, ex partibus continuatis, & Angelus iuxta aduersarios, ex natura & substantia intrinsecè fiant; & producantur, sed ex nihilo subiecti, ex quo educatur: at totum, vti suprà explicuimus, sit ex nihilo subiecti, ex quo educatur, quantumcumque ex partibus producat; ac proinde nequiquam generatur, sed creatur. Ad tertium etiam respondeo: totum in fieri, & etiam in facto esse dependere à subiecto, non tamen à quo educatur; aut cuius quoad se totam forma sit, sed ex quo intrinsecè constituitur: quod certè aliud, & aliud est, atque adeo non generari, sed creari. Ad vltimum respondeo: cum homo dicitur in Scriptura, & Philosophia generari, id secundum quid, improprie, & ratione solius vnionis, ex qua resultat, accipiendum est; haud aliter, ac cum dicitur in sacra pagina: *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*: id improprie accipiendum est iuxta plerisque Theologos, in quorum sententia peccatum vt peccatum, & quoad eius malitiam est aliquid priuatiuum, atque produci, aut generari proprie non potest. Aut dico secundo; generationem sumi sæpissime solere pro origine viuientis à viuente in principio coniuncto in similitudinem naturæ: esto productio alicuius ex præsupposito subiecto non sit: qua ratione processio Verbi diuini generatio appellatur, esto Verbum ex præsupposito subiecto, siue causa materiali non producat. Quare: quamuis homo ex præsupposito subiecto non producat, sed potius ex nihilo creetur, adhuc in sacra pagina, & Philosophia rectè de eo dici poterit, generatum, siue genitum esse.

70. Affero vltimò: ea, quæ suapte natura creantur, vt materia prima, Angelus, & animus rationalis, ne de potentia Dei aboluta, alia, actione, quàm creatiua produci possunt: siquidem sola forma dependenter à subiecto produci, siue generari potest: at materia essentialiter est subiectum, non forma; & Angelus etiam essentialiter est ens completum, & non forma, siue, quod perinde est, ens
V 3 incompletum

incompletum: Neque Deus facere potest, ut vel materia, vel Angelus forma sit, alias rerum essentias variare posset: ergo de potentia Dei absoluta fieri nequit, ut vel materia, vel Angelus dependenter à subiecto producantur, aut non creentur, sed generentur. Quod verò ad animam rationalem attinet, ratio repugnantiae in nostris principiis manifesta est: siquidem dependere aliquid à subiecto, siue causa materiali, est ei ita intrinsecè uniri, ut sine illo naturaliter esse, aut conservari nequeat: qua sola ratione animas brutorum generatas, non creatas esse nobis constat: at de potentia Dei absoluta fieri nequit, ut anima rationalis ita intrinsecè materiae uniat, ut sine ea naturaliter esse, aut conservari nequeat: posse enim animam rationalem conservari sine materia ex natura rei ei essentialis est ratione suae immortalitatis, & spiritualitatis: quare tam Deus nequit facere, ne anima rationalis possit naturaliter esse sine materia, quàm rerum essentias variare nequit.

72. Verum, si generatio, & dependentia à causa materiali non prout à nobis explicata est, sed prout communiter explicari consuevit, accipiat; & formam aliquam generari nihil aliud sit, quàm actionem productivam illius se ipsa esse unionem sui ad subiectum, in quo forma recipitur: si inquam, hæc ita sint, non video certè, qua ratione negari possit, animam rationalem diuinitus generari posse, haud secus ac è contrario, quantitas Eucharistica naturaliter increabilis diuinitus creari potest. Id quod constabit ex solutione argumentorum, quæ contra generationem animæ diuinitus possibilem opponi solent. Obiici solet primò: quoties res producit modo non connaturali, eo ipso postulat modum productionis, qui perfectior sit modo productionis naturali: alias, qua ratione ille hunc supplere posset? Et quidem ideo quantitas diuinitus creari potest, quia creatio quantitatis Eucharistica generatione ei connaturali perfectior est, eumque eminenter continet: at generatio animæ rationalis eius creatione perfectior esse non potest: igitur per generationem animæ rationalis produci diuinitus nequit.

73. Verum in primis generatio supernaturalis animæ rationalis eius creatione perfectior est, non solum quoad substantiam, ut P. Hurtado posito argumento innitens disp. 12. Physicorum sect. 6. fatetur, verum etiam quoad modum, cum supernaturalitas actionis modus sit, & generatio supernaturalis creatione naturali perfectior esse videatur. Deinde non video, cur productio miraculosa, aut supernaturalis formæ eius productione naturali, quam supplet, perfectior esse debeat: Si quidem productio miraculosa materiae absque vlla forma substantiali supplere diuinitus potest productionem naturalem formæ in materia: at ea perfectior non est. Maior ex dictis l. 2. tr. 2. c. 4. perspicua est: minor probatur: quia productio miraculosa materiae sine forma est creatio materiae, & carentia generationis formæ in illa; productio verò materiae cum forma est eadem ipsa creatio materiae, & generatio formæ in illa: at creatio materiae, & carentia generationis formæ non est perfectior, sed potius imperfectior, quàm eadem creatio materiae, & generatio formæ: cum duobus ente, & non ente perfectiora sint: ergo, &c. Rursus: si machina mundi ad punctum diuinitus redigeretur, an non hic modus existendi in loco

imperfectior esset modo existendi in loco, quem mundus de facto fortitur, & quo suis sedibus omnes eius partes pulcherrime dispositæ sunt: at prior ille modus existendi in loco, huius posterioris defectum diuinitus supplere potest: ergo similiter modus existendi à causis non solum non perfectior, verum etiam minus perfectus modus existendi à causis perfectiorem supplere potest: atque adeo generatio animæ eius creationem supplere potest.

Argui solet secundo: si anima rationalis dependenter à potentia passiva materiae per actionem generatiuam educeretur, tunc materialis esset, & non spiritualis: cum materialitas per dependentiam alicuius à materia, & spiritualitas per oppositam dependentiam definiantur. At anima rationalis ne de potentia Dei absoluta materialis, & non spiritualis esse potest; alias eius essentia à Deo variari posset: ergo &c. Verum facile responderi potest, negata maiori. sicut enim quantitas Eucharistica quamvis miraculosè, & supernaturaliter sine materia conservetur: ob id materialitatem suam non exuit, nec in spiritum euahitur: sic etiam anima rationalis, quamvis supernaturaliter, & miraculosè à potentia passiva materiae dependeret, non ob id spiritualitatem suam exueret, aut in statum rei materialis deprimeretur. Ratio vtriusque est: quia quod aliquid sit materiale, aut spirituale, non oritur ex dependentia, aut independentia actuali à materia, sed ex eo, quod dependentiam, aut independentiam illam postulet. Quare, cum nec quantitas Eucharistica independentiam à materia, nec anima rationalis in hypothesi quæstionis dependentiam à materia postulet, non est, cur altera in materiale, aut altera in spirituale demutetur.

Argui solet tertio: quia si anima rationalis generaretur, non deberetur ei immortalitas: at debitum immortalitatis animæ rationali essentialis est ita, ut diuinitus eo spoliari nequeat: ergo anima rationalis diuinitus generari nequit. Responderi tamen potest, ut animæ rationali immortalitas debeatur, opus non est, ut creatio de facto ad eam terminetur, sed ut ei debeatur: cum enim creari sit immortalitas, idemque sit, aliquid creari, ac esse immortale quantum est ex vi illius actionis, sanè debitum creationis debitum immortalitatis erit: at creatio animæ, quantumvis generetur, ei debetur: ergo immortalitas etiam ei deberi potest. Declaratur: quia si anima rationalis generetur, adhuc vi nullius agentis naturalis sine miraculo destrui poterit: ergo quia etiam in eo euentu natura sua immortalis est: aut, quod perinde est, quia immortalitas ei naturalis, & debita est. Consequentia videtur perspicua: antecedens probatur, quia agentia naturalia in eo euentu tantum expellere possent animam rationalem à materia, & destruere actionem adæquatam, qua tunc existeret: at hoc non esset destruere animam rationalem, cui in eo euentu alia creatiua debita esset, eique sine miraculo denegari non posset: sic destructa actione creatiua, qua quantitas Eucharistica independentem à subiecto existit, naturaliter debetur ei in stomacho Sacerdotis actio generatiua, qua destructis speciebus panis dependenter à materia prima à Deo producta, velut à subiecto educatur.